


Prot. N. 1559/19/I



DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Patre Domino Laurentio Leuzzi, Episcopo Aprutino seu Teramensi-Hatriensi seu Atriensi, una cum Rectore Sancti Gabrielis a Virgine Perdolente Sanctuarii de Insula Montis Fiscelli, praefatae Dioeceseos, occasione sollempnium in honorem Sancti Patroni Gabrielis celebrationum quae in eodem Sanctuario a die XVII Maii MMXX usque ad diem XXX Maii MMXXI peragentur, de caelestibus Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communione et oratione ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint, si Sancti Gabrielis a Virgine Perdolente Sanctuarium in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilaribus celebrationibus devote interfuerint, vel saltem coram Sancti Gabrielis exuviis per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei invocationibusque Beatae Mariae Virginis et Sancti Gabrielis a Virgine Perdolente.

Senes, infirmi omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si coram aliqua Sancti imagine iubilaribus celebrationibus se spiritualiter adiunixerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordi Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilior pro pastorali caritate evadat, haec Paenitentiaria enixe rogat ut Patres ex Congregatione Passionis Iesu Christi, quibus praefatum Sanctuarium commissum est, prompto et generoso animo celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiariae Apostolicae, die XV mensis Maii, anno Dominicae Incarnationis MMXX.

Maurus Card. Piacenza
MAURUS Card. PIACENZA
Paenitentiarius Maior

Christophorus Nykiel
CHRISTOPHORUS NYKIEL
Regens